

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput LVIII. Quam paratus sit deus recipere peccatores.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

Dominus : « Ecce propter tuas preces centum convertam peccatores. »

## CAPUT LVIII.

QUAM PARATUS SIT DEUS RECIPERE PECCATORES.

**L**ABORANS aliquandiu gravi capitisi dolore, cum die quadam inter Missarum solemnia ipsum dolorem circa oblationem hostiae, cum eadem hostia sacrosancta Domino in laudem æternam offerret, protinus apparuit illi Dominus tenens in manibus suis delicatis circulum quemdam ligni aridi, circa quem rosas pulcherrimas connectere videbatur. Illa vero dum multum admiraretur quidnam hoc sibi vellet, quod Deus circa hoc aridum lignum tam floridas rosas annexeret, audivit Dominum dicentem : « Ecce per hoc quod arido huic ligno has vernantes rosas alligo, intelligas designari quod nullius unquam peccatoris cor ex peccatorum rubigine adeo aruit, si aliquem dolorem vel infirmitatem corporis, quantumvis etiam parvum, pertulerit tali intentione, quod pro amore et laude nominis mei, majorem libenter sustinere proponeret dolorem, si mihi complaceret, quin ipsa hora ex tali deliberatione revirescat, et gratiae misericordiae divinæ ex tunc jam capax efficiatur. »

« Item dico tibi, quod nullus est peccator adeo magnus, si vere pœnituerit, quin ipsa hora illi omnia peccata sua plene dimittam, ac cum tanta clementia et dulcedine Cor meum super eum reclino, ac sic nunquam peccasset. » Tunc illa : « Si ita est, quid est, dulcissime Deus, quod miser homo hoc minime sentit ? » Cui Dominus : « Ex eo est quod interiorem,

Quomodo  
peccatoris  
opera bona  
revirescant.

Gustus  
peccati  
persistens  
divinam  
impedit  
dulcedinem.

peccati gustum nondum plene amisit: verbi gratia, si homo post pœnitentiam tam fortiter vitiis resisteret, ut omnem peccati gustum et delectationem penitus extirparet, procul dubio Spiritus divini suavitatem persentiret. »

O vere altitudo inscrutabilis sapientiae et misericordiae tuæ, dulcissime Deus, qui tam miris et multis modis, attrahere tibi conaris cor peccatoris, ut nullus ei jam detur locus desperationis, quém tanta subsequitur clementia paternæ revocationis!

## CAPUT LIX.

DE ILLIS QUÆ SCRIPSIT CUIDAM MATRONÆ SÆCULARI ET SIBI  
FAMILIARI<sup>1</sup>.

Digitus  
virtutes  
Christi  
notant

Extremus,  
humilitatem

**C**ARISSIMA mihi in Christo filia, Amator animæ tuæ tenet manum tuam in dextera sua, tangens digitis suis singulos digitorum tuorum, ut inde tibi ostendatur qualiter in anima tua operetur, et qualiter eum sequi debeas, ejus exempla imitando.

Extremus digitus ejus significat humillimam conversationem ipsius, qua venit in terram non ministrari sed ministrare, et omni subjici creaturæ. Ad hunc digitum etiam tuum apponas: hoc est, cum superbia inflaris, recole humilationem et subjectionem Dei tui; orans ut per ipsius humilitatem, omnem devincas superbiam et propriam vo-

1. Quæ hac Epistola continentur, sunt sola scripta quæ propria manu beata Mechtildis nobis reliquit, cum ex ejus enarrationibus tantummodo constant reliquæ hujus Libri partes.